

capienda idoneos possit , illico secum ad exercitum ducat : 1522
 quod tanto civium ardore , ac concursu effectum est , ut cum
 quadrincentis equitibus , ac sex circiter peditum millibus , re-
 liquis ad urbis custodiam moenia circum dispositis , statim in
 castra convolarit . Sub cujus adventum Helvetii , quibus gra-
 viores partes in prælio sustinendas Lautrechius commiserat ,
 adversam castrorum frontem adoriuntur ; sed cum præ fossa-
 rum altitudine (quod in primis optaverant) bellicas hostium
 machinas aggredi non possent , magno conatu transilire fossas
 nituntur , Germanis peditibus , Georgio Frandispergio , ut di-
 ximus , duce , strenue pro vallo propugnantibus , acriterque
 obstantibus : illis contra in castra penetrare conantibus , Ger-
 manosque propellentibus , qui loci opportunitate freti eo majo-
 re nixu pugnabant , quo plus verebantur , ne cum hoste fos-
 sas prætergresso , ancipiti marte certare cogerentur . Dum atrox
 pugna utrinque committitur , a latere dextra Helvetii ab Hi-
 spanis peditibus ingenti minorum tormentorum procella effusa
 verberantur . Tum omnes intrepide pericula subire , morienti-
 um vestigiis hærere , nec socios inultos pati . Utrisque sum-
 mo animorum ardore dimicantibus , Scudus a leva trecentis
 equitibus , peditumque globo circumductis , a tergo hostes ag-
 greditur , patentique aditu invento , in medianam aciem irrum-
 pit , alios obtruncat , alios perterrefacit : verum cum numero
 impar esset , copiisque , quas secum Mediolano Sfortia eduxer-
 at , præter spem Cæsareanos auctos animadverteret , referre
 pedem est coactus . A dextra Lautrechius equitum ala , quam
 ad fallendos hostes rubra cruce adornaverat , Gallis albam ge-
 stare assuetis , simul cum hostibus in castra irrupturum sibi per-
 suaserat ; sed astu detecto , Columna suis militibus spicarum ,
 quæ jam in agris excreverant , manipulos capiti imponere juf-
 sis , Lautrechii conatus elusit . Igitur Helvetii , quibus certami-
 nis pondus relictum fuerat , licet insita militari virtute , ac fe-
 rocitate acriter pugnando in castra penetrare niterentur , natu-
 ra loci , fossarum altitudine , Germanorum robore tandem fef-
 si , paulatim cedere coacti , ordinata acie cum tormentis , ac
 sarcinis , extremo Venetorum agmine comitati , Modoetiam se
 recepere . Eo die ex Helvetiis ad tria millia cum decem ac
 septem eorum ducibus cecidere ; pauci ex Cæsareanis deside-
Helvetiorum
internecio.
 rati